

## LVIII M. SABELLICI

” rit apud nos, sibi currere habeat annuatim eo modo, & forma, ut  
 ” in praesentiarum ab Gubernatoribus nostris Introituum consequitur,  
 ” ut sicut nunc eidem solutio dictorum ducatorum ducentorum ab eis-  
 ” dem Gubernatoribus impenditur, ut quandocumque se alere, suisque  
 ” indigentii providere valeat, sitque omnibus Dominio nostro inservi-  
 ” entibus munificentiae gratitudinique nostrae non vulgare monumen-  
 ” tum.

” De parte ————— 125

” De non ————— 55

” Non sinceri ————— I

1506

(a) Venet.  
ap. Gabr.  
folit. de  
Ferrariis,  
& fratres,  
1550. in 8.

Annis morbisque ingraevientibus accessit luctus ex praepropria Marii filii morte, quam Sabellicus, etiamsi exspectationi curisque suis minus respondisset, unice tamen diligebat. Illum Pierius Valerianus in tanto luctu solaturus, Oden eam misit quam legere est in *Hexametrorum, Odarum, & Epigrammatum* ipsius libro, pag. 88. (a)

*Quid Marce tantum filii doles vicem,*

*Quem acceperas precario, &c.*

Conditus est Marius in s. Mariae Gratiarum aede, in parva insula prope urbem, ultra Georgii majoris insulam & fanum: Epitaphium pater ipse addidit, quod Joannes-Georgius Palferus descripsit in *Memorabilibus Venetiarum monumentis*, qui liber, auctoris sui manu delineatus, apud me aslervatur: id vero epitaphion nisi a Marci-Antonii parentis obitu insculptum lapidi sepulcrali facile ex iis est conicere, quae ipse testamento suo praecipit, quod infra nos, ex publicis ducalis, ut vocant, cancellariae actis exscriptum, apponemus.

MARIO. FILIO

SVAVISSIMO

SABELLICI. PIETAS

ANNO. M. D. VI.

Invalente inter haec affecti corporis aegritudine, qua dudum tentabatur, prope septuagenarius fato concessit Sabellicus. Non una est scriptorum sententia, quo tempore, quo mortis genere sit ille extinctus, vel ubinam tumulatus. At vero verius est, lue venerea, aut certe malo huic afflai absumptum ipsum occubuisse XIII. kal. majas, conditum eodem quo Marius filius tumulo, ad praedictam s. Mariae Gratiarum aedem.

De mortis genere ita loquitur Pierius Valerianus lib. I. de literatorum hominum infelicitate, ut licet, quantum in se est, verborum ambagibus obvelare illud conetur, forte ut tanti magistri memoriae parcat, facere tamen non potuit, quo minus, si quis attentiori animo ejusdem verba expendat, inde conjiciat exitiale quodpiam malum, neque a gallico multum abhorrens, sicuti etiam Bayle supra memoratus observat. Vir ille (de Sabellico ita Pierius) scriptorum copia & elegantia multo clarius, quam mea ulla possit commendatione crescere, miserabilem vitae finem euna sortitus est, quod putrida, pernicioseque corruptus elephantias, per annos aliquot miserabiliter cruciatus, interclusa vocis via, caeterisque tam spiritus, quam cibi meatibus computrescentibus, gutturisque corruptis omnibus organis, venisque corrosis, non sine cruciabili tormento annos aliquot peregit, eaque tabe denum confectus interiit. Verum si Pierius terrificam adeo